Bisenberger, Matthias: Tractatus monasticus ; Gottesdienstordnung
Salem, Mitte 18. Jh. Seite 156



Dignus sum Ego peccator levare oculos meos in cælum. Deus propitius esto mihi peccatori
semper, hic et in æternum, qui vivis et regnas in sæcula sæculorum amen.

Deus qui superbis resistis et gratiam præstas humilibus concede nobis
veræ humilitatis virtutem, cujus in se formam fidelibus
Unigenitus tuus exhibuit, ut nunquam indignationem
tuam provocemus elati, sed potius gratiæ tuæ dona capiamus
subjecti per eundem Dominum nostrum. &c.

Jn. M.

Caput octavum usque ad caput Nonum
inclusive de officio et disciplina psallendi.

Expositio Summaria. &c.

In Capite octavo hyemis tempore, id est à Calendis Novembris usque ad pascha etc. in hoc itaque Capite Sanctus Legislator dividit in duas partes, quarum una est hyemalis computata à festo omnium Sanctorum /: incidit enim in Calendas Novembris :/ usque ad pascha, altera vero est æstas computata à paschate, usque ad festum omnium Sanctorum. et mandat Sanctus Pater nos surgere ad laudandum Deum, octava noctis horâ.

Hæc octava non est octava noctis iuxta cursum modernum nostrorum horologiorum, sed 2da ponè, propter quod ut intelligatur, notandum, tempore Sancti Benedicti horas noctis fuisse 12, et totidem etiam horas Diei, sive in æstate, sive in hyeme, sicut hora prima noctis esset post crepusculum, 12ma verò ante diluculum; diluculo enim numerabatur prima hora diei, crepusculo autem hora 12ma. Unde hyemis tempore erant horæ nocturnæ longiores quam diurnæ. ideoque hyemis tempore hora octava noctis ferè incidebat in nostram horam 2dam qua surgebant ad divinas laudes patres nostri iuxta Regulam, et nos saltem diebus solemnioribus, et sic paulò ante horam modernam octavam somnus quæritur, quæ in hyeme est hora Regularis 2da. Sequitur quod ad litteram servemus mandatum Regulæ, ut sc: modicè amplius de mediâ nocte pausetur. Siquidem nox in 12 partes æquales divisa paululum ultra 8 horas quieti concedit.

In æstate sic vult Sanctus Pater, ut hora Vigiliarum temperetur, quatenus laudes semper ad auroram habeantur. Ipsæ enim nostræ laudes nomine matutinorum intelliguntur. hoc autem Sancti Patris dispositio nequit observari in hoc climate, sed in quo multùs citò,

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
© Universitätsbibliothek Heidelberg
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/salVIII62/0167
gefördert durch Baden-Württemberg